



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio VII. Arcus cœlestis Noëmo post diluvium oste[n]sus, typus elegans Christi Jesu crucifixi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

Oliva, ut fundat oleum, multis pistilli ictibus debet contundi: Sic quoque carnem tuam rebellem debes castigare pistillo crucis, si ex ea oleum puritatis & virginitatis destinas exprimere.

Oliva denique commendatur de liberalitate in suos cultores, affert enim illis fructus uberrimos in omni patientia. Quid, obsecro, liberalius quam JESUS Dei Filius in oliva crucis pendens? Considera illum, & videbis, quod dederit omnia, quæ habuit pro anima tua; ille talis ac tantus, qui primam sanguinis guttam te potuit redimere, dedit in oliva crucis pro te ultimam. Sit ergo benedictus DEUS, quia fecit nobiscum misericordiam magnam &c.



CONSIDERATIO VII.

Arcus cœlestis Noëmo post diluvium ostensus, typus Christi Jesu crucifixi.

*Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis
inter me & inter terram. Gen. 9. 13.*

I.

NOë, pater futuri sæculi, ubi terminato diluvio DEO T. O. M. in debitæ observantiæ & gratitudinis signum ex cunctis mundis animantibus lautissimum obtulit sacrificium, attollens oculos in cœlum, in superiori aëris regione arcum miræ ac raræ pulchritudinis conspicatus est, qui Noëmo, filiis ejus ac omnibus posteris non nisi fausta ac prospera annuntiavit; unde DEUS ad eum: *Hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem, qua est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram, cùmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum &c.*

Gen. 9. 12.

Hier. Drex.
de Christo
moricite,

Per hunc arcum, seu Iridem serenitatis & pacis nuntiam, teste Hieremia Drexelio, SS. Patres ac Interpretes haud immeritò Christum JESUM & hunc Crucifixum intelligunt, per quem genus humanum cum Patre irato fuit reconciliatum. Priùs in prima mundi ætate acer-

rimum

rimum bellum cœlum inter & terram bellatum fuit. Dimicabat terra contra DEUM innumeris vitiis ac peccatis: *Omnis quippe caro corruerat* Gen. 6. 11. *viam suam*; Econtra potentissimus exercituum Dominus, qui jam pridem rebelles Angelos ob similem causam ad tartarum ablegaverat, tandem, hoc est: post 1656. annos, ad lentam sed gravissimam vindictam commotus universum mundum per aquarum dissipavit diluvium: *Et delevit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus.* Et Gen. 7. 23. *Et ecce quis in tam miseranda rerum facie mediatorem egit?*

Vide arcum, ait Ecclesiasticus, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. Arcus hic non alius est, quam Christus JESUS in cruce cœlum inter & terram, tanquam Mediator inter utrumque, exaltatus, qui non tantum iratum cœlum placavit, sed & sanguineo imbri de cruce largissimè profuso orbem irrigavit & fecundavit universum: *Pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis* Col. 1. 20. *sunt.*

2. Est autem arcus, seu Iris, roseida quædam & opaca nubes, in quam sol radiis suis immisissis mirè resplendet, & velut speculo reflexa imago excipitur. Colores tres habet, igneum, viridem & purpureum, plerumque tempore vespertino apparens, & occasum respiciens. Si altus est sol, Iris depressior est, mirè autem tunc æstum Solis mitigat, & pluviam fecundam præfagit, quæ finitâ, & terrâ humectatâ, placida serenitas cum ubertate fructuum redire, totamque regionem mirè exhilarare solet; undè lemma: *Ab imbre serenum.*

Quid hæc roseida & opaca nubes in hac mystica Iride, Crucifixo JESU aliud est, quam sacra ejus humanitas, pro nostra, omniumque salute in infima aëris regione, tanquam Iris suspensâ, quæ velut opaca nubes ejus tegebat divinitatem? Quid color igneus aliud designat, quam infinitam ejus charitatem, quæ nos ingratos in cruce suffixus tam ardentem dilexit? Quid color viridis aliud denotat, quam spem & fiduciam, quam mortales omnes concipere debent, cum Redemptorem suum in crucis ligno pendentem, & manus, sicut arcum, extendentem conspiciunt? Non enim idèo Salvator tuus in crucem actus est, ut te judicet ò mi homo, atque æternum à se projiciat, sed ut salvet te, & per omnem æternitatem reddat beatum. Color denique rubeus, hinc inde in arcu cœlesti immixtus, quid aliud quam cruenta ejus SS. Vulnera adumbrat, quibus æstum divinæ justitiæ & mitigavit, & etiamnum in cœlo mitigat, ostendens ea æterno Patri, ne nos secundum nostra demerita castiget: *Vide hunc arcum, & benedic eum, qui fecit illum: Valde speciosus est in splendore suo.* Eccli. 43. 12.

Ginther Unus pro omnibus.

D

3. Ar-

3. Arcus insuper cœlestis, seu Iris est signum divinæ clementiæ & pacti sempiterni à DEO cum Noëmo & hominibus initi, quòd deinceps nullum ampliùs orbi terrarum velit inducere diluvium: *Recordabor sederis mei &c.* Hinc à Sanctissimis Viris arcus ille cœlestis semper celebratus est singulari elogiorum calculo, quòd sit chirographum reconciliati Dei cum hominibus, tessera amicitiae divinæ, specimen multiformis gratiæ, felix pacis nuntiã, ac divinæ propitiatiõis symbolum, quibus addit Cornelius: *Iridem esse symbolum crucis Christi: in cruce enim quasi in arcu extensus & distensus Christus, validissimas orationis & amoris sagittas fursum ad DEum Patrem ejaculatus est; quibus cor ejus vulneravit, ut nostri miseretur, nobisque peccata remitteret: Quin & nos sibi in filios & hæredes adoptaret.*

4. Arcus, si manè inter opacas videtur nubes, venturum nuntiã imbrem; unde ipsa Veritas Christus: *Et manè dicitis: hodie erit temestas, rutilat enim vrisse cœum.* Si verò arcus tempore vespertino se præbet conspicuum, serenitatem annuntiat. Arcum mysticus, prout dictum, Christus & hic crucifixus est; Manè apparuit in stabulo, & octavo die per circumcisionem jam sanguinolentus, quod jam tunc in ortu prægrandem præsignabat futuram in passione pluviam; occubuit autem vespere in cruce, ad occasum Solis faciem convertens, à dextra habens Aquilonem, & à sinistra Meridiem; & hic arcus occumbens univèrso terrarum orbi optatam præsignabat serenitatem, & cum Patre cœlesti plenariam cum genere humano reconciliationem. O

anima Christiana: *Vide hunc arcum, & benedic eum, qui fecit eum: valde speciosus est in splendore suo.* Juvat hic audire pro singulari animæ nostræ solatio, quod Christus Dominus, teste Ludovico Blósio, multoties SS. Virginibus Gertrudi, Mechtildi & Catharinæ Senensi intimavit: *Quoties, inquiebat, anima fidelis Crucifixi Salvatoris imaginem aspicit, ejusque SS. Vulnera in memoriam revocat, toties vicissim divina misericordia oculos in ipsam reflecti, & efficaciter converti.* O anima peccatrix, quid facis? quid agis?

5. De arcu ulteriùs ex vulgi opinione constat, quòd scutellam auream spargat, & in terram depluere faciat. Quidquid sit hac de re: Christus Dominus in cruce pendens, tanquam arcus mysticus in veritate omnem gratiarum thesaurum & plenitudinem in nos miseròs ac præsertim in crucis amatores & cultores transfundere & spargere affolet. Audi Leonem X. P. M. in quadam bulla de liberalissimo Crucifixò JESU differentem, quàm immensum Ecclesiæ militanti comparaverit thesaurum: *O thesaurum, inquit, infinitum. thesaurum incomparabilem! thesaurum nunquam exhauriendum! Una sola gutta ipsius preciosi sanguis*

sa nequitis propter unionem hypostaticam ad Verbum sufficientissimum est ad red-
mendos mille mundos.

6. Placet audire exemplum, quàm liberalis sit in cruce Redem-
ptor tuus? Lucae in Italia magno honore colitur imago crucifixi Do-
mini, quam S. Nicodemus quondam efformavit, in qua non tantùm
ampullam Christi sanguine plenam inclusit, sed & praevidens Hiero-
solymae everisionem, ne à Gentibus profanaretur, illam in Galilaeam
transportari curavit; ubi successu temporis, cùm iterum bella move-
rentur & seditiones, à piis Christianis navigio imposita, & divina
providentiae relicta, sine nauclero per mare Mediterraneum cum
multis accensis luminibus ad portum Lunensem feliciter appulit, quam
loci illius Episcopus ab Angelo monitus currui magnifico imposuit, &
Lucam deportari curavit, in quo loco adhuc hodie religiosè asservatur
& colitur, suosque cultores miris afficit beneficiis, inter quae illud
non minimum est, quod cuidam paupertino evenit; hic, cùm ad ex-
tremam redactus fuisset pauperiem, benignissimum Salvatorem in
hac sua effigie humiliter rogavit, quatenus dignaretur calamitati suae
benignè subvenire, & necessaria vitae præbere alimenta, ad quas de-
mississimas pauperculi preces Christus dexterum suum calceum ex ar-
gento formatum, & aureis laminis incrustatum ei in sinum projecit.
Quis latior hoc misello? Abiit igitur præ gaudio tripudians. Verùm
ædicui, qui occultè rem observabant, hunc sine mora redimebant
calceum, tantum auri illi exsolventes, quantum ad calcei pretium suf-
ficiens erat. Qui calceus in memoriam hujus prodigii adhuc hodie
ibidem asservatur, nec ab hoc tempore amplius pedi Crucifixi aptari
potuit. O Christiani? accedite cum magna fiducia ad hunc
thronum gratiae &c.

Mallonius &
Sandæus in
Stauraph. lib.
47. Tit. 19

